Quelle: http://manuscripta.at/?ID=31662
Copyright: Zwettl, Zisterzienserstift

Quinque plage eius quot quinque sunt lingue
vel plagarum cicatrices idcirco in cor-
pore suo retinuit et reservavit ut vic-
torias suas semper loquatur illis quasi
linguis. Cui loquitur? Revera primum
deo patri deinde angelis id est hominibus
sanctis omnibus electis omnibus. Videt pa-
ter deus et pulchris victoriarum testimo-
niis delectatur. Vident angeli et in lau-
dem et gloriam excitantur. Vident homi-
nes redempti et in gratiarum actiones
~~omnes~~ inremissibiliter extenduntur.
Dicimus cum apostolo et dicentis
apostoli sensum intelligimus quia pater
abraham accepit et posteris suis tra-
didit signum circumcisionis signaculum
iusticie fidei credita enim ut fidelis deo
dicenti in semine tuo benedicentur omnes
gentes cum non haberet filium iam que esset
senex ipse et uxor eius et sterilis. Magne
rei testimonium. magne illa circumcisio
erat fidei signaculum et magne iusticie
palma ipse et posteris suis declamabat eius
ante deum sue promissionis commonefaci-
ens eum ne umquam in debitis offensus
subterfugeret dare semen in quo
benedicerentur omnes gentes dum signaculum
illius promissi commonitorium videret fide-
lemque ac veracem ipsum esse decerneret. Ecce au-
tem plura signacula signacula iusticie
ac fidei scilicet plage quinque quas pro con-
ditione salutis humane iste vir ob-
ediens suscepit vir iustus et fidelis.
Pro conditione in qua salutis humane
quia profecto talem conditionem propositam
sibi in propheta non nesciebat ipse: Si po-
suerit pro peccato animam suam videbit
semen longevum et voluntas domini in
manu eius dirigetur. Pro eo quod laboravit
anima eius uiuet et saturabitur. In sci-
entia sua iustificabit ipse iustus ser-
vos meos multos et iniquitates eorum
ipse portabit. Nonne igitur nobis po-
steris eius vere psallam iustificationis
et salutis sive salvationis iusta di-
vinitas concedit cum iudicat non unum
tantum signaculum aut signaculum ius-
ticie vulneris circumcisionis sed quinque [quod fuit vulnus circumcisionis]
vulnera iusti vapulantis quicquid
quinque sensibus suis nostra caro deliquit.
Nam signacula hec iusticie vel fi-
dei nos in baptismo suavitur suscepi-
mus que ipse penaliter suscepit et sic-
ut unigenitus signaculum id est circum-
cisionis testimonio expectabat ad re-
dimendos homines venturus ita nunc
a nobis cum quinque plagarum id est cru-
cis frontibus nostris inpresse signaculo
expectatur ad iudicandum vivos et
mortuos ~~omnes namque~~ redituros.

Quomodo Raptus
sit filius mulieris ad deum et ad thronum
eius et draco qui querebat eum devora-
re est illusus. Quod sit raptum esse
ad deum et ad thronum eius sic est illud paulus apostolus
non ab hominibus neque per hominem sed per ihesum christum.
Quod Rapto illo ad deum et ad thro-
num eius adhuc restabat implenda illa promis-
sionis pars et benedicentur in semine tuo omnes
gentes et quod adhuc implendum christus in apostolos
reservavit. Et eo Quod dictum est
mulier fugit in solitudinem et factum est pre-
lium magnum in celo michahel et angeli eius
preliabantur cum dracone. Quomodo pre-
lium illud fuit et quomodo draco et angeli eius
non valuerunt neque locus eorum amplius inventus
est in celo. Quomodo ut quando vidit
draco proiectum se esse in terram et quomodo persequens
mulierem misit aquam de ore suo tamquam
flumen. id est doctrinam hereticam.